

Divitis aut teneat Cræsi ditissima regna,  
 Aut miseram vitam, pauper ut Irus, agat.  
 Sic abit ad superos, SCHONBURGICA, voce vocata,  
 Christi, quam rapuit mortis iniqua manus.  
 En Generosa obiit Matrona, piissima MATER  
 Occidit, heu justis causa doloris adest.  
 Occidit egregium decus; hoc in stemmate rarum  
 Virtutis specimen quæ muliebri fuit,  
 Hæc Matrona vigil, pia, religionis amatrix,  
 Ac Matronarum casta corona fuit.  
 Et nec ob aureolas divino pectore dotes,  
 Perpetuo Lachesis stamine digna; erat.  
 Quæ Musas Phæbumque patrem deamare solebat,  
 Dives opum mentis commoda multa dabat.  
 In vita semper divini erat æmula Verbi  
 Sincera; juvans Religionis opus.  
 Ut meritò quivis hanc lugeat ubere lessu  
 Spe citius; fleat, proh dolor, orbe rapi!  
 Hanc dolet ordo sacer properato funere tolli,  
 Hanc pietas, candor, hanc vocat alma Themis.  
 Omnia, crede mihi, sunt momentanea: Mortis  
 Aufert hæc uno vis truculenta die.  
 O verè felix superas jam evecta ad auras  
 Quas petiit, summas jubilat inter opes.  
 Membra licet putri condantur pulvere terræ,  
 Vermibus acceptum suppeditentq; cibum:  
 Mens tamen optata sine tempore vescitur aurâ,  
 Gaudetq; angelicis semper adesse choris.  
 Corpus humo recubat, donec rediviva resurgens  
 Omnia, quæ ratio nostra perisse putat.  
 Mittite sed lachrymas, lacrymis imponite finem,  
 Hunc ipsi Parcæ constituere diem.

A

*Generosorum & Illustri: natu minorum Baronum Schen-*  
*cken à Landtsberg, Domi. in Bucholtz &c. pro tem-*  
*pore Præceptore Daniele Ursino Havelberg: Mar-*  
*chiano S. S. Theol. studioso, summi honoris & τῆς*  
*συμπροθείας ἑνεκα conscript.*

F I N I S.

H. Sax. 1. 595, 15